



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. XXXVII. Hiemis tempore libros scribit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

urbis emendandæ functiones citra jactantiam iis comparari posse, quibus aliquot ante seculis eam magnus Italiæ Apostolus Bernardinus Senensis excoluit.

§. XXXVII.

*Hiemis tempore libros scribit P. Paulus.*

**P**erfecto hac ratione Expeditionum suarum gyro, reliquo anni spatio recipiebat se P. Paulus in Collegium aliquod Societatis, quod ferme erat Florentinum Quies quâ inibi se restaurabat, erat elucubratio pretiosorum illorum librorum, è quibus tantum utilitatis in omne mortali-um genus manavit, quique pluribus locis iteratò prælo subjecti, & ex Italico in alia Europæ idiomata, Latinum præcipuè, translati sunt. Magno enimvero lucubrationes istæ Authori suo steterunt. Fessus ipse est, se crebrò admodum octo integras horas diei spatio ipsis impendisse: nec id difficulter sibi persuadebit, quisquis usu didicit, quid sibi poseat ratio hæc tam eleganter, tam doctè, & cruditè scribendi. Semel duntaxat visus est DEUS voluisse ipsi facilem admodum reddere scribendi laborem, modo non ordinario, dum elucubrandæ Concordiæ Quietis ac Laboris in Oratione se impendit. Miratus est ipse vehementer, tam facile occurrere calamo aptissimas cogitationes. Cùm libros consulebat ad inveniendum aliquem locum, offerebat se confestim, quod quærebat: unde agnovit opem planè singularem, quâ DEUS volebat promovere opus ad multorum salutem profuturum. Excursionibus Apostolicis, & scribendi occupationi adungebat Pater Conciones per ver-  
num jejunium, quibus varias Italiæ & nobilissimas urbes,

quæ cum summis votis expetebant, ad virtutem erudit, donec anno 1679. prælo suas illas Conciones subiiceret, ut hæc ratione toti simul orbi Christiano prodesset.

§. XXXVIII.

*Evocatur P. Paulus ad munus Concionatoris Pontificij.*

**I**N medio sanctissimarum harum occupationum cursu, quibus summo animi sui solatio vacabat, inexpectato nuncio Florentiâ Romam repente avocatus est. Sanctissimus Pontifex Innocentius XII. cum aliquas P. Pauli lucubrationes legisset, audirétque tam multa Apostolici ejus Zeli opera, summam illam æstimationem, quam de eo Populi conceperant, fructus præclaros, qui Expeditionibus Sacris colligebantur; subiit ejus animum cogitatio, virum talem maximè idoneum fore ad munus summi momenti, Concionatoris Apostolici, qui ad Patres Purpuratos, & Præsules alios Pontificæ Aulæ diceret. Hoc suum desiderium cum Præsilibus Societatis indicâisset, hi ad nutus summi Pastoris promptissimi, sine mora P. Paulum literis evocârunt ad acceptandam, quam sua Sanctitas impositura ipsi erat, provinciam. Dubium non est, quin multis gratissimus futurus fuisset ejusmodi nuntius, magnâque ab iis hilaritate acceptandus. P. Paulo tamen nostro fulmen visum est, quo animi ejus intima vulnerata sunt: quâ enim erat animi submissione, videbatur sibi ad tantæ dignationis & momenti functionem planè ineptus, & Caritati ejus minis quàm acerbum erat, ac dolore plenum avelli à Sacrarum Excursionum exercitatione, ad quas toto animi sui pondere ac pro-